

signo dominabitur. Idemque Mars in secunda, & Sol siue cum cauda siue non sint, sed hoc dictum est, dum Mars uel Sol extra domum uel exaltationem suam erit. Vnus quidem in locis proprijs per rapinam & auariciam designat substantiam, alter cum honore et laude acquirat, quanquam delectatur semp in dando ut alter in dispensando proprio appetitu, sed nunquam sic dispositi paupertatem designant.

Non solum per secundam prosperitates siue diuitias iudicabis; Sunt quidem dona, magisteria & dominia, quæ per secundam non iudicantur. Pars uero fortunæ etiam significationem propriam habet, dico de illa quæ die noctuque à Sole in Lunam dirigitur, affluere proprias diuitias & assignare facit.

Per decimam solū de dignitatibus pacificis & honoribus non præsumas tradere iudicium nisi prius Iouem considerabis. Porro ipse per bonitatem suæ naturæ propriæ has infert.

Si Dux natiuitatis Iupiter erit, siue dispositor totius fortisque ex angulo & existentia, piū, iustum, uerum, fidelem iudicabis natum uenturum nullæ poenitæ indigentia uictus, & hoc contra faciunt infortunæ malæ dispositæ.

Luna in Ariete in octaua indicat calidam infirmitatem in capite & in pectore non euadet, in principio ægritudinis, si in hac dispositione fuerit nonque perueniet ad decimam nonam diem. In natiuitatibus uero si ipsa erit luminare tēporis in hac figura non longæuum designat, sed potius mori ante completam iuuentutem, siue ante ætatē effusionis spermatis siue seminis.

Mora in utero matris maior, non ultra erit motum solis per nouem partes circuli zodiaci, uidelicet, à primo puncto effusionis seminis usque ad horam exitus de uentre, ne credas hoc aliter esse ex cursu naturæ, quanquam quàm plurimi non hoc modo dixerūt, nescio qua ratione, qua radice, quibusue experimētis, cursus quidem naturæ seruandus est, & ratio Physica, Astronomica, ut demonstrauimus in opere Practicæ huius cōpositæ nostræ.

Maius impedimentum quàm esse possit in dandis filijs significator in quinta retrogradus est, siue combustus, quod peius est,